est; si præter aliquot pietatis instituta, aut iura, & officia, à quingentis fere annis summa in Ecclesiam fide seruata, quæ singulis diebus lacessuntur (quorum forte vindicationem à nobis extorquebit Æmulorum importunitas:) cætera duabus his partibus morum regulis, & fidei, ac Theologiæ dogmatibus continentur.

Quid vero horum, ab accusationibus & calumniis, intactum fuit? Vt non immeritò mihi nuper ab vno inter Ecclesiæ proceres, sapientia & eruditione celeberrimo, dictum sit; breui actum fore de nostræ Scholæ placitis, nisi quamprimùm valide propugnentur: hoc vno tantum deceptus; quod id operæ à me nauari oportere, aliis recusantibus, vellet, & auctor esset, vt id laboris susciperem. Quot Ethicæ nostræ sordes iniectæ. quot illata vulnera grauissima sint, recentior est Amadæi Guimenij liber infamis, quàm vt pluribus commemorem. Nec à parte Dogmatica temperatum est; quin hæc grauius & periculosius impetita est: quod qui Ethicam lacessiuerunt, nos ad suarum opinionum consortium alliciant, multis encomiis & verborum lenociniis, eoque etiam reluctantes, obtorto collo trahant: adeoque à censuris in nos ferendis absunt, vt quas ipsi timent, aut quam patiuntur, relaxatæ Euangelij disciplinæ notam, moliantur depellere & delere, nostrorum Theologorum suffragiis: quasi quicquid hominum affectibus liberiore Ethica indulgent, à nobis exceperint, quæ præ nostri reuerentia, maluerint sequi, quàm damnare. An non in illos cadat? Pessimum genus inimicorum laudantes.

Sed illis satis superque responsum est: nec puto